

AB
71 $\frac{8}{16}$
4,

00
Uel
Vsq[ue] que p[ro]p[ter] d[omi]n[us] . asqu[er]uo de somno
consp[er]ges . par[iter] inq[ui]a d[omi]n[us] . in d[omi]n[us] d[omi]n[us]
p[ro]p[ter] illu[m]i[n]at[ur] conp[er]ges ut q[ui]s s[er] . et
de met[er] t[ibi] quasi r[ati]os egestat[is] tua , et
mendac[ia]s tua quasi v[er] acm[er] . p[ro]v[er]b[ia] 24
in fi.

Qui vident . an[te] q[uam] . ne p[ro]p[ter]as in f[ur]to . h[ic]
ne p[ro]p[ter]a emendare no[n] poss[un]t . in d[omi]n[us] d[omi]n[us]
am[er]i t[un]c . p[ro]v[er]b[ia] 25


Sicut vinea v[er]m[is] . a v[er]m[is] ligno . Ita iusticia
v[er]a non[is] t[er]re . p[ro]v[er]b[ia] 25 . Verity aquila
dissipat pluvias . et f[ur]is t[er]re lignu[m] d[omi]n[us] . et
Sicut v[er]bo p[ro]p[ter]o a d[omi]n[us] v[er]bo am[er]i . Ita
v[er]o qui no[n] p[ro]p[ter] in loqu[en]da colub[er] sp[irit]u[m] suu[m] . et
mala am[er]i in loqu[en]da d[omi]n[us] . q[uod] loqu[en]t[ur] v[er]bu[m] in p[ro]p[ter] suo .

Ne respondeas stulto inq[ui] stulticia[m] suam . ne effiray
ei s[er]m[on]e . Respond[et] stulto inq[ui] stulticia[m] suam .
ne s[er]m[on]e sapiens v[er]d[ic]t[ur] . p[ro]v[er]b[ia] 26 .
Judicia d[omi]n[us] r[ati]os . et q[uod] imp[er]at stulto . s[er]m[on]e
v[er]o m[er]it[ur] . et q[uod] d[omi]n[us] d[omi]n[us] ligna exp[er]im[en]t[ur]
regnis a suscit[ur]one sub[er]at[ur] . inq[ui]a r[ati]os s[er]m[on]e .

fugit imp[er]io v[er]m[is] p[ro]p[ter] . iustus aut[em] quasi leo
confid[en]s ab[er] t[er]re . et p[ro]v[er]b[ia] 28 .
Regnab[un]t imp[er]io v[er]m[is] h[ic] . et Leo r[ati]os
et v[er]m[is] v[er]m[is] . p[ro]p[ter] imp[er]io sup[er] p[ro]p[ter] p[ro]p[ter] .
Qui op[er]at[ur] h[ic] sua . s[er]m[on]e p[ro]p[ter] .
et s[er]m[on]e o[mn]i . r[ati]os egestat[is] . et .

Theol. D. VII. 317.





PANDECTARVM

Liber . XIII . de Tropis, Figu-
ris & modis loquendi
Scripturarum .

Item de locis Scripturarum
pugnantibus Parallela .

PROBLEMATATA .

Quare quedã parum curiose
retulerunt Euangelistæ .

Propheta quare in Parabolis &
enigmatibus sunt locuti .

Otho . Brunfel .

IOANNI HARTMANNO BRI-
tanniae suae splendori, Otho Brun-
felsius S. D.

NON usque adeo temere fuit, quod olim, uel doctis-
simis, uel potentissimis, prisci illi disciplinarum au-
tores, libros suos nuncupauerunt. Videbant enim
illi, nullos adco de literis pronunciare rectius, quā
qui easdem etiam didicissent, nullos subinde substi-
tere aduersus inuidiam pertinacius, quam pror-
sus potentissimos, & qui maxime ab alijs suspi-
rentur (obscurat enim inuidiam, ut inquit quidā,
excellens gloria) ita & ego nunc, Hartmanne cla-
rissime, Tropos meos uulgaturus, tibi potissimum
uolui nuncupare, ut sicut inter ingenuos, & libe-
ros homines haberis doctiss. inter doctos nobiliss.
ita operae huic meae, non solum in diiudicando
censor, uerumetiam contra hominum maliuolenti-
am patronus mihi ut esse uelis, quod ut facillime
potes, ita benigne ut obeas oro, atq; obsecro. Si
enim quid usquam est in diuinis scripturis spino-
sum, uel quod magis Delio (ut dicitur) indiget na-
tatore, tum tropos, schematismos, idiomata, &
quicquid est eius generis figurarum deprehende-
re, operae est prorsus laboriosa, & hominis exer-
citatissimi. Cesso interim dicere, quam inuidiae ob-
noxium, quae imminet passim, cum ab ijs, qui ut ip-
si soli sapere uideantur, naso suo suspendunt

omnia, maxime si opinionibus non applaudamus
eorum, tum ab spiritibus, qui hodie uniuersam scri-
pturam conuellunt, nescio quem spiritum suum i-
stantes, qui illis oraculi est uice, & cui si non protu-
nus subscribimus, literatores, & scribae caeci illis su-
mus, cum tamen interdum & ipsi sint homines &
belli homunculi, ne Prophetas uel Apostolos suspiceris
esse, ut sane Lyncaum, uel Argum esse quendam o-
porteat, qui uelit hodie saeculo huic pessimo & ingra-
tissimo scribere. Extant quoq; Andreae Althameri do-
cti hominis, & Bedae (si modo non subditius est titu-
lus) eiusdem argumenti commentarioli, quibus si no-
stra non per omnia respondent, scito ab hinc triennio
me dictasse mea, quam unquam scripsisset Althame-
rus, & inter tineas & blattas haberetur adhuc Bedae
libellus. Interim & tu quoq; mi Hartmanne, tuos sic
exprime conatus, ut sicut ingenio plurimum

polles, sic ex te quoq; multi meliores
fiant & doctiores. Bene uale,

& me ut soles comple-

tere. Argentorati

ex nostra

diatri-

ba.

19.

Calend. Martias. Anno

1528.

A 7

De Tropis.
P A N D E C T A R V M.
Liber. XIII. De Scripturarum Tropis,
Othonis Brunfelsij.

M E T A P H O R A E.

METAPORA, id est, translatio, tropus est longe pulcherrimus, quando uel nomen, uel uerbum, ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum, proprio melius est, transfertur. Huiusmodi in scripturis hæc fere sunt, ex quib. tibi licebit similes animaduertere

Psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.

Matth. 4. Venite ad me, & faciam uos piscatores hominum.

Matth. 7. Cauete a pseudoprophetis qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus uero sunt lupi rapaces.

Matth. 9. Messis multa, operarij pauci.

Matth. 11. Iugum meum suauis, & onus meum leue.

Matth. 21. Qui ceciderit super lapidem istum.

Luc. 14. Quisquis non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus.

Iohan. 1. Ecce agnus Dei.

Iohan. 15. Ego sum uitis uera.

Et pater meus agricola est.

Apo. 5. Leo de tribu Iuda.

Hoc modo Christus uocatur panis. Iohan. 6.

Pastor. Ioh. 10. Radix. Apo. 5.

Scripturarum Oth. Brun.

Germen. Hier. 23. Hos. Esa. 11.

SYNECHDOCHES.

¶ Synechdoche, quam Cicero Intellectionem uocat, est, quando ex uno plura intelligimus, uel aliud intelligitur ex alio.

Genesis. 27. Curre ad oues, & accipe inde mihi duos hedos. Simul pascebantur oues & hedi, sed quia potiores sunt oues, etiam caprinum pecus complexus est.

Genesis. 35. Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia. Manifestum enim est, longe postea natum Beniamin, cum transisset Bethel, & appropinquaret Bethlehem. Sed quia potior erat numerus undecim filiorum Iacob, qui nati fuerant ei in Mesopotamia, ipsorum cōmemoratione scriptura cōplexa est etiam Beniamin, qui non erat ibi natus.

Hiere. 32. Ascende, et clama in Basan, da uocē tuā.

Hier. 51. Ecce ego ad te mons pestifer, ait dominus.

Matth. 5. Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, porrige ei & sinistram. Quo utiq; innuit Dominus, ut toti simus parati ad sustinendum.

METONYMIAE.

¶ Metonymia. i. transnominatio, cum inuentorem pro re inuenta ponimus, uel continens pro contento, & econuerso, uel effectum pro efficiente, dominum rei pro re ipsa, uel autorem pro opere. ut.

Ezech. 20. Stilla ad Aphricum, & propheta ad saltum agri meridiani, & dices saltui meridiano.

A iij

De Tropis.

2. Cor. 3. Quamdiu legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum.

2. Cor. 3. Litera occidit.

ANTONOMASIAE.

¶ Antonomasia, ea est nominis permutatio. ut cum dicitur.

Genesis. 23. Et sepeliam mortuum meum.

Iohan. 21. Dicit eis Iesus. Pueri, num quid obsonij

Luce. 2. Annuncio uobis gaudium magnum, id est, Euangelion. (habetis?)

Ioh. 12. Iam princeps huius mundi eiectus est foras.

1. Petri. 5. Aduersarius noster circumut sicut leo rugiens, quærens quem deuoret.

Iohã. 21. Dixit discipulus ille quem diligebat Iesus, Dominus est, id est, Iesus.

PERIPHRASES.

¶ PeriphraSES, fusior & locupletior est rei descriptio, aut ornandæ rei gratia, quæ pulchra est, aut tegendi gratia, quæ turpis est. ut

Qui uenturus erat in mundum, ubi Christum significamus.

CATACRESES.

¶ Catachreses, uerborum abusio, quæ non habentibus nomen suum, accommodat, quod in proximo est, ut si paricidam appelles, non qui patrem occiderit, sed alias hominem quemuis. 1. Cor. 2. Sic Paulus animale[m] hominem accipit, pro eo, qui humano more sapiens est.

Scripturarum Oth. Brun.

ALLEGORIAE.

¶ Allegoria, quam inuersionem interpretantur, cum aliud uerbis, aliud sensu ostenditur, aut nonnumquam contrarium. Sic.

Allegoriam admittunt, Egressus Loth de Sodomis. Genesis. 19. Respectio uxoris eius in salem conuersa, & parabole omnes quæ sequuntur.

PARABOLAE.

¶ Parabola, est cōparatio rerū genere differentiū, quæ etiā Tropis adnumerari solet. Huiusmodi sunt.

Matth. 25. Homo quidam peregre profectus.

Ioan. 15. Sicut palmes nō potest ferre fructum 2c.

Matth. 13. Simile est regnum cœlorum sagena.

Exijt qui seminat seminare semen.

Parabola de zizanijs. De grano Synapis.

De fermento, & farinæ satis tribus. De thesauro

De Margaritis. (abscondito.

2. Reg. 2. Duo uiri erāt in ciuitate una, unus diues

Mat. 15. Nō qd ingreditur in os. (& alter pauper.

Matth. 16. Cauete a fermento Phariseorum.

Parabola decem milium talentorum. Matth. 18.

De mercede conductis in uineam. Matth. 20. 21.

De uocatis ad nuptias. Matth. 22. Item allegorias habent. Egressus Abraam de Vr Chaldeorum.

Dissensio Agar, et Sarai, quæ sunt duo testamenta.

Item illud Matth. 3. Et uentilabrum in manu sua.

& purgabit aream suā, & congregabit triticum in horreum, paleas aut cōburct igne inextinguibili.

De Tropis.

Item similitudo de uinea Esa. 5. Vineam factam est dilecto in cornu filio olei, & sepsit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit uineam Sorech. Quod postea explicans propheta. Vineam inquit domus Israel est, et uir iuda germen laudabile eius. Psal. 79. Vineam de Aegypto transtulisti. Hierc. 1. Ego te plantaui uineam electam &c.

Roma. 13. Hora est nos de somno surgere. Nox praecessit, dies appropinquauit.

Ephe. 4. Surge qui dormis.

Ezech. 24. Dices per prouerbium ad domum irritatricem. Pone ollam aeneam, et mitte in eam aquam &c.

Iohan. 10. Qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro &c. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autem non cognouerunt quae essent quae loqueretur.

Ezech. 29. Ecce ego ad te Pharaon rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum & dicis, meus est fluuius, & ego feci eum. Et ponam freno in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extraham de medio fluminum tuorum &c.

Ezech. 31. Ecce Assur quasi cedrus in libano pulcher in Ramis, & frondibus nemorosus, & inter condensas frondes eleuatum cacumen eius &c.

Ezech. 32. Leoni Gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari, & uentilabas cornu in fluminibus &c.

Scripturarum Oih. Brun.

AENIGMATA.

¶ AEnigma, quædam allegoria obscura, magnis etiam autoribus usurpata. Vt sunt, Iudicum nono.

Venerunt ligna siluarum. Iudicum. 14. De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.

4. Regum. 14. Carduus libani misit &c.

Ezech. 17. Fili hominis pone ænigma & narra parabolam. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate, uenit ad libanum & tulit medullam cedri, summitatem frondium auulsit, & transportauit in terram Chanaan &c.

Item. 23. Duæ mulieres filiæ matris suæ fuerunt, quæ fornicatæ sunt in Aegypto &c.

PAREMIAE.

¶ Paremia, dictum celebre, aliqua nouitate in signi, ut, Genesis. 10. Vnde exijt prouerbium. Quasi Nimrod robustus uenator coram Domino.


Genesis. 22. Appellauit nomen loci illius, Dominus uidet. Vnde usq; hodie dicitur in monte, Dominus uidebit.

Numeri. 21. Idcirco dicitur in prouerbio. Venite in Esebon, edificetur & construatur ciuitas Seon. &c.

1. Regum. 10. Nunquid & Saul inter prophetas?

1. Regum. 27. Ab impijs egredietur impietas.

2. Regum. 20. Sermo dicebatur in ueteri prouerbio, Qui interrogant, interrogent in Abela.



De Tropis.

Proter. 22. Prouerbiū est. Adulescens iuxta uiam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.

Hiere. 29. A quibus exiit prouerbiū maledictionis. Ponat te Dominus sicut Ahas & Sedechiam. Quos rex Babylonis frixit in igne.

Ezechielis. 12. Fili hominis, quod est hoc prouerbiū in terra Israel, dicentium, In longam differetur dies, ideo peribit omnis uisio.

Ezechielis. 16. Ecce omnis, qui dicit uulgo prouerbiū, in te assumet illud, dicens. Sicut mater, ita & filia eius.

Ezech. 18. Patres comederunt unam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt.

Matth. 11. Cecinimus uobis, & non saltastis.

Matth. 23. Colantes culicem, glutientes camelum.

Luce. 4. Medice, cura te ipsum.

2. Pct. 2. Canis reuersus ad suum ipsius uomitum, & sus lota reuersa ad uolutabrum cæni.

IRONIAE.

¶ Ironia, illusio quæ non ex uerbis, sed uel pronuntiatione, uel persona, uel rei natura intelligitur. ut

Amos. 4. Venite in Bethel, impie agite ad Galgalam, & multiplicare prauaricationem.

Matt. 11. Et iustificata est sapiētia a filijs hominum.

Matth. 26. Dormite iam, & requiescite.

Luc. 22. Ecce duo gladij hic. Et respondit. Satis est.

Iohan. 10. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, uos dicitis, quia blasphemus, quia dixi,

Scripturarum Oth. Brun.

filius Dei sum.

Iohannis. 19. Ecce rex uester.

Acto. 23. Nesciebam fratres, quod pontifex esset.

SARCASMI.

¶ Sarcasmus, iocus amarulentus, atq; hostilis derisio. ut

Psal. 21. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum.

Matth. 27. Si filius Dei est, descendat de cruce.

HYPERBOLES.

¶ Hyperbole, dementiens superiectio, ut quæ fidem non mereatur, uel augendi, uel minueudi gratia. ut

Genesis. 11. Faciamus nobis turrim, cuius culmen pertingat usque ad coelum.

Genesis. 41. Et congregauit Ioseph triticum sicut arenam maris.

Numeri. 13. Ibi uidimus monstra quaedam filiorum Enach, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ uidebamur.

Deuterono. 4. Ciuitates magnas atque muratas usque in coelum.

Iudicum. 6. Instar locustarum uniuersa complebant. Et ibidem capitulo septimo ad idem.

Iudicum. 7. Cameli innumerabiles erant, sicut arena quæ iacet in littore maris.

Iudicum. 7. Camelorum eorum nõ erat numerus.

Iudith. 2. Cooperuerunt faciem terræ sicut locustæ.

De Tropis .

Psal. 106. Ascendunt usq; ad cœlos, descendunt usq; ad abyssos.

Ezech. 31. Abietes non adæquauerunt summitatem eius. Cedri non fuerunt altiores illo paradiso Dei. Omne lignum paradisi non est assimilatum ei.

Abacuck. 2. Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificatum est, respondebit.

Matth. 19. Facilius est camelum per foramen acus introire, quam diuitem in regnum cœlorum.

Luce. 19. Si uos tacueritis, lapides clamabunt.

Iohan. ultimo. Arbitror autem totum mundum non posse capere, qui scribendi sunt libros.

ASTISMI

¶ *Astismus, urbanitas, orationis quasi festiuitas, ut.*

Ioan. 9. Si cæci essetis, non haberetis peccatum.

Simile. Vergiliano. Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hyrcos.

GRADATIONES

¶ *Gradatio, forma quædam exaggerandi est, qua præcedens uerbum repetitur. ut.*

Roma. 5. Gloriamur in afflictione, scientes, quod afflictio patientiam pariat, patientia uero probationem, probatio autem spem.

CONGERIES

¶ *Congeries, ubi coaceruantur diuersæ res, ut*

Roma. 1. Repleti omni iniusticia, scortatione, uersutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione

Scripturarum Oth. Brun.

tionem, dolo, &c.

2. ad Timoth. 4. Erunt homines sui amantes auari,
fastuosi, superbi, maledicti. &c.

CONTENTIONES

¶ Contentio, uel Antithesis, cum per contraria
amplificamus. ut

Roma. 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis
sunt curant, at qui secundum spiritum, quæ spiritus sunt.

Affectus carnis, mors est: affectus spiritus, uita &
Litera occidit, spiritus uiuificat. (pax.

Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si spi-
ritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

SUBIECTIONES.

¶ Subiectio, cum ipsi respondemus nostræ interro-
gationi., ut cum dicitur

Rom. 7. Quid dicam? Lex peccatum? Absit, sed
peccatum nõ. &c. Ergo quod bonum erat, mihi factum
est mors? Absit. Quid igitur dicam ad hoc? Rom. 8.

Num iniusticia est apud Deum? Absit. Rom. 9.

EXCLAMATIONES.

Matthæi. 23. Væ uobis Scribæ, Væ uobis Phari-
sæi hypocritæ.

Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de cor-
pore mortis huius?

Huiusmodi figuræ passim occurrunt, si quis cum
iudicio legerit. Habent enim & diuinæ literæ quan-
dam rhetoricen suam. Reliqua ipse uestiga dili-
gens lector. Nobis satis fuerit uiam ipsam monstrasse.

De Tropis

¶ De quibusdam alijs modis loquendi Scripturarum.

Eius farinae sunt & quae sequuntur, nimirum tropice & figurate dicta. Veluti Gene. 3. Aperti sunt oculi amborum.

Luc. 24. Cognouerunt eum in fractione panis, & aperti sunt oculi eorum. Non enim caeci erant, quando ambulabant per uiam.

Sic & illud Gene. 11. Et erat omnis terra labium unum. Quod sic accipiendum est, omnes homines in terra erant linguae unius, neque erat tum tanta linguarum uarietas.

Cui simile est illud Pro. 18. In manu linguae, mors & uita, cum perspicuum est, linguam manum non habere.

Et illud Esa. 45. Omni malitiae caeli madaui. Ione. 4. Praecipit Dominus spiritui comburenti, & uermi madatos.

Et Luc. 8. Christus increpat mare & uentum. In quibus omnibus cum non sit sensus, iuxta proprietatem linguae accipienda sunt.

Metonymiam habet, quod est apud Esaiam. ca. 46. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea uulua. Cum non uterum habeat diuina maiestas, sed quod nos adfectum Dei per nostra uerba discamus. Quemadmodum & hic Psal. 107. Ante luciferum genui te. Psal. 2. Ego hodie genui te.

Frequenter ubi de corde incidit sermo, anima intelligitur. ut Esa. 46. Audite me duro corde, quod

Scripturorum Oth. Brun.

LXX. uerterunt, audite me qui perdidistis cor, id est, mentem. Et paulo ante. Redite praeuaricatores ad cor.

Tritum prorsus est & hoc, & prophetis familiarissimum, sub inuolucro rerum corporalium, ea significare, quae intus sunt in anima. Quomodo in Ezech. 26. sub figura nauis & instrumentorum eius ornatus Tyri exprimitur. Et propter aquarum abundantiam, rex Aegypti appellatur draco. Hierusalem propter Idololatriam, lupanar.

Idem mysterium habent mutatio uasorum, transmigrations apud Ezechielem. Mulier sedens super plumbo in Zacharia: apud Amos, uncinus pomorum, & trulla cementarij. apud Hieremiam, uirga uigilans, fractio lagunculae in domo figuli.

est, quod humanos affectus tribuimus Deo, non quod illos habeat in se, sed quia nostro hoc more loquitur scriptura, neque aliter nos capere possumus, nisi signis & imaginibus nostro more utamur. Eo sensu dicit. Iurauit Dominus in dextera sua.

Iratus est Dominus in populum suum. Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a uino. Et huiusmodi sexcenta. Nusquam enim similes locutiones non sunt obuia.

Pleraque elata numero singulari, re ipsa pluraliter exponuntur, & intelliguntur, ut Psal. 104. Dixit, & uenit locusta, & brucus cuius non erat numerus.

De Tropis

Iohel. 1. Residuum bruci comedit locusta.

Psal. 77. Attendite popule meus.

Exo. 13. Omne masculinum adaperiens uulvam.

Et e contrario, quæ pluraliter enunciantur, singulariter intelliguntur. *Exo. 32. de uitulo. Fecerunt sibi Deos aureos.*

Item. Illi sunt dii tui qui eduxerunt te de terra *AEgypti*. Sic de latronibus dicitur *Matthæi. 27.* quod Domino insultauerint, cum tamen unus solus id fecerit.

Multa, cum palam præferant rem sordidam ac turpem, ad allegoriam aliquam referuntur, ut cum *Osee* iubetur accipere uxorem fornicariam & adulteram. Et *Ezechieli* præcipitur, ut comedat panem conspersum stercore hominis. Et dormire super uno latere diebus. *190.* & in altero latere diebus. *40.*

De Sexu hoc etiam non inusitatum est, mulierem usurpari indifferenter pro quolibet statu fœminei sexus, id est, pro corruptis, & incorruptis, uirginibus, & maritatis. *Gen. 24.* Si noluerit mulier uenire mecum in terram hanc. Et rursum. Si autem noluerit mulier sequi te.

In hac sententia quædam pura uocantur, cum sint alioqui corruptissima, ut *Hiere. 18.* Quis facit talia horribilia, quæ fecit nimis uirgo *Israel*? Vbi uirginem uocat, de qua ante dixerat. Filij *Memphicos* & *Taphneos* constuprauerunt te ad uerticem. Et apud *Ezechielem capite. 16.* Diuasticasti pedes tuos

Scripturarum Oih Brunfel.

omni transeunti.

Habet quoq; ταυταλογιασ suas Scriptura, et eas quidem crebas. Ex quibus sunt Psal. 1. Nō sic impij, non sic, Psal. 2. Qui habitat in cœlis irridebit eos, et dominus subsannabit eos. Quamuis plura huiusce modi, aliter in Ebraicis, aliter in græcis leguntur.

In relationibus temporum præteritum effertur, q̄ futurum erat, tum in primis usitatissimum prophetis. Psal. 68. Dederunt in escam meam fel. 21. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Esaiæ. 53. Ecce uidimus eum, & non erat species, neq; decor. & c.

In temporum supputatione et hebdomadarum, interdum dierum, interdum uero annorum hebdomades supputantur, de quibus dicitur in Leuit. 23. Numerabitis igitur ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usq; ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.

Hebdomades annorum, Leuit. 25. Numerabitis septem hebdomadas annorum, quæ faciunt annos. 99.

Et iterum Dan. 9. Usq; ad Messiam ducem hebdomadas septem, & hebdomadas. 72. Et post hebdomadas. 72. occidetur Christus.

In alijs autem numeris hoc sic habet, ut ante semp̄ minorē, postea maiorē numerū supputet scriptura, uerbi gratia. Nos iuxta proprietatem lingue latinae dicimus, Abraam uixit ānos cētū. 70. q̄nq;. Scriptura e cō-

De Tropis

uerso dicit, Vixit Abraã annis qnq; .70. & centum.
Quedam iam facta fuisse intelliguntur, et per re-
capitulationem postmodum commemorantur. Sicut est
illud Gen. 21. quod Abraam dicitur iurasse circa pute-
um iuramenti, qui tamen eo tempore nondum sic di-
cebatur, sed postmodum ab Abraam sic nuncupatus
est, cum iniisset foedus cum Phicol et Abimelech. Qui
igitur librũ Genescos scripsit, longe postq̃ acta sunt
hæc, ex nomine putei conuurationis uocauit Bersabeæ
.i. sic appellabatur puteus, cum liber scriberetur, non
men tenens antiquum, quod Abraam imposuerat.

Sic quoq; dictem et hoc Nu. 13. Venerūt usq; in uallẽ.
Botri. Non q̃a iam hoc uocabatur nomine, quãdo tran-
sierunt, sed cum scriberetur hic liber, iam sic uocaba-
tur. Et item illud Iud. 15. Idcirco appellatũ ẽ nomem lo-
ci illius, fons inuocantis de maxilla, et plura alia huius
modi.

Quedam dicit se primum cognoscere deus, que
tamen haud dubie antea, & ab æterno cognouit, ut
cum dicit Gen. 22. Nunc cognoui quoniam tu times.
Quod perinde est, ac si dicat. Nunc te fici cognoscere
ut significetur p̃ efficientem, id q̃ efficitur. Quemad-
modum frigus, pigrum uocamus, eo q̃ pigrum facit.

Sæpe obuiam sunt quoq; locutiones huiusmodi. Vt
q̃ in hodiernum diem, vsq; in presentem diem. Que
in hunc sensum accipiende sunt, quõ nos dicimus, Re-
legatus est in perpetuum exillum. cum tamen nemo
possit exulare ultra id quod uiuit, Et proprie de hijs

- Scripturarum Oth. Brunfel.

rebus dicitur, quæ non ita constitutæ sunt, ut postea mutarentur ab eis, qui constituerunt.

Vt enim nos numerum infinitum usurpamus pro finito, totum pro parte, partem pro toto, genus pro specie, speciem pro genere, ita & Hebræi.

Numerus infinitus pro finito, ut Exo. 12. Erit uobis in legitimū sempiternū. Exo. 21. Seruet ei in sempiternum. ubi non intelligitur æternitas illa, secundum quā nobis æterna promittuntur, neq; enim seruus iste uiuere

Numerus finitus pro infinito, (in æternū potuit. Pro. 24. Septies in die cadit iustis. Mat. 18. Non dico tibi usq; septies, sed septuagies septies.

Totum pro parte Exo. 32. Consurrexit populus in Aaron. Neq; enim totus populus consurrexit in eum, sed pars, id quod et Apostolus testatur. 1. Cor. 10.

Partem pro toto Exo. 34. Deos conflates ne faceritis. Non enim quia fusiles tantum nominauit, ductiles, fictiles, ac ligneos permisit. Sic et illud. Primitiuum subiugalis redimes oue. Exodi. 34. Panem non comedit, & aquam non bibit. omnem cibum & potum significans.

Genus pro genere Gen. 23. Sepeliam mortuum meum. ubi masculinum ponitur pro foeminino.

Genus pro specie. Exo. 22. Si autē pignus acceperis uestem proximi tui, ante solis occasum reddes ei. Sic enim dictum est, ac si de omni ueste pignus dederit, cū de illo specialitur dixerit. et ex consequētibus testatur, qui nō habet nisi eā uestē. unde se nocte cooperiat

Problemata

¶ Quare quædam parum curiosè
retulerunt Euangelistæ.

Quod nobis interdum usu uenit, ut sententiam referamus Scripturarum, nihil adeo solliciti quibus id faciamus uerbis, id in Euangelistis quoq; est obseruandum, qui in adscribendis testimonijs Scripturarum, magis solliciti fuerunt, ut sensum redderent Scripturæ, quam uerba. Aut absque nomenclatura referunt, aut plura testimonia in unum conlata uni adscribunt Propheta, quæ tamen ex diuersis sunt assuta. Quam licentiam pulchre excusat diuus Hieronymus commentarijs in Esaiam Prophetam. lib. 3. cap. 6. cuius uerba subscripsi.

Lucam inquit Euangelistam, tradunt ueteres Ecclesie tractatores, medicinæ artis fuisse scientissimum, um magis Græcas literas scisse quam Hebræas, unde & sermo eius, tam in Euangelio, quam in Actis Apostolorum, id est, in utroque uolumine comptior est, & secularem redolet eloquentiam, magisq; testimonijs Græcis utitur quam Hebræis. Mattheus autem & Iohannes, quorum alter Hebræo, alter Græco sermone Euangelia texuerunt, testimonia de Hebraico proferrunt. Pauli quoque ad Hebræos Epistole contradicitur, quod ad Hebræos scribens, testimonijs utitur, quæ in Hebraicis uoluminibus non habentur. Hæc Hierony.

¶ Scripturas nemo potest adamussimè
explicare, & multa credere ex

Problemata .

pedit magis, q̄ curiose scrutari.

Multa quoque sunt in Scripturis quæ incredibilia uidentur, & tamen uera sunt. multa indissolubilia, ad quæ magis expedit conuiuere, quam hæere diu, & scrutari curiose. maxime, quia scriptum est. **Li. 1. Cor. 3**
tera occidit, spiritus uiuificat. Quemadmodum est hoc de Mathusalem, qui uixit. 24. annis post diluuium, & tamen non est ingressus arcam Noa. Et alia multa, de quibus mihi uidetur Apostolus Paulus præcepisse, ut missas faciamus curiosas questiones, quæ **1. Timo. 3 Titum. 3**
ad contentionem deseruiunt magis, quam ad eruditionem & pietatem. Et tamen in curiosis illis scrutandis, et exanclandis, interdū maiorem operam ludimus, & negotium nobis facimus, quam in hijs, in quibus rerum summa consistit.

¶ Discipuli, amici & consanguinei, quomodo aliquando in scriptura fratres nominantur

Illud etiam opere precium est nosse, quod quicumq; sunt de una tribu, de uno stemmate, fratres uocari. patres uero non solum carnales illos, sed & preceptores, tutores & nutricios. Sic intellige quod in Euangelistis est de fratribus domini, de filijs Israel, & Moses, & Aaron, &c.

Deus quare tam obscure locutus ē per pro.

Prophætæ quod perplexis sententijs, parum sibi coherentibus, scripserunt, mirisq; enigmatibus atq; meandris nunc huc, nunc illuc uidentur torquere sese, ideo factum putemus, oportet, ne si ordinem

Problemata & Tropi.

conseruet Scriptura, non sit iam uaticinium, sed pura narratio, quod dicitur, Est de hoc Origenes memoratu digna sententia, Commentarijs in Ezechielem. Semper inquit, Sacramenta Dei, propter paruulos auditores, uelaminibus quibusdam operiuntur: quia legis & prophetarum Deus abscondit mysteria non diligentibus se, sed timentibus, ut ait propheta, Quam magna multitudo dulcedinis tue Domine, quam abscondisti timentibus te. Paruuli quippe sunt, nec possunt cum emolumento suo discere quod amentur a patre, ne dissoluantur, ne despiciant bonitatem Dei. Hæc Origenes. Verum de hijs alio tempore plura.

¶ Tropi quidam & metaphoræ communes.

Iohan. 15. Ego sum uitis uera, Et uos palmices. Pater meus agricola.

1. Cor. 10. Petra autem erat Christus.

Genesis. 41. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt.

Matth. 25. Oportebat ergo te committere pecuniam nummularijs.

Matth. 4. Faciam uos piscatores hominum.

Luce. 8. Semen est uerbum Dei.

Exo. 12. Est enim phase, id est, transitus Domini.

Ager, est mundus.

Inimicus homo, est diabolus.

Iohan. 3. Destruite templum hoc.

1. Iohan. 1. Deus lux est, Neq; enim Deus lux est aliqua corporalis.

Scripturarum Oth. Brun.

Lucæ. 11. Confidite. Amen dico uobis, quicumq; dixerit monti huic &c. Nusquam legimus Dominum, uel Apostolos montes transtulisse.

Iohan. 20. Hæc cum dixisset, flauit in eos, & dicit. Accipite spiritum sanctum. Neq; enim halitus fuit spiritus sanctus, sed spiritus iudicium.

Sic & alibi sæpi figuræ rerum, uocabulis rerum denotantur, ut per linguas igneas, quæ super discipulos apparuerunt, & per columbam, quæ Dominum manifestauit uere unctum.

Matth. 11. Si uultis recipere, ipse est Helias ille qui uenturus erat. Quod Lucæ. 1. explicacius dicit. Ipse præcedet ante illum cum spiritu & uirtute Helie.

Genesis 2. Lignum erat uitæ in medio paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali. Num arboribus tribuimus quod Dei est solum uiuificare & illustrare?

Iohan. 19. Mulier, ecce filius tuus, Ecce mater tua.

Matth. 11. Non exortus fuit, inter eos qui nascuntur e mulieribus, maior Ioannæ Baptista &c.

Matth. 25. Omni habenti dabitur, & ab eo qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo, Quomodo quis habet, quod non habet? nisi quod figuram gerit habentis?

Iohan. 7. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.

Matth. 5. Si oculus tuus dexter obstaculo fuerit tibi, erue illum.

Matth. 7. Ne detis quod sanctum est canibus &c.

De Tropis .

Matth. 10. Omnis arbor bona, fructus bonos facit.
Nullus immittit assumentum panni rudis &c.
Ecce ego mitto uos sicut oues &c.
Matth. 12. Aut facite arborem bonam.
Progenies uiperarum.
Matth. 16. Cauete a fermento phariseorum.
Matth. 18. Nisi efficiamini sicut pueri.
Luc. 1. Suscitauit cornu salutis nostrae.
Psalmo. 43. Inter inimicos nostros uentilabimus
cornu.

In Zacharia quoq; quatuor cornua, quatuor pot-
tentissima Regna demonstrant.

Esaie. 48. Audite me domus Iacob, qui de aquis
Iuda existis, id est, de semine uel stirpe Iuda.

Esaie. 46. Simulacra contrita sunt, & contabues-
runt simul, non potuerunt saluare portantem, anima-
corum in captiuitatem ibit.

Breuiter, tota scriptura plana est tropis huiusmo-
di, figuris & locutionibus, & ut rem omnem uno
(quod aiunt) fasce complectar, semper aliud pre-
fert in cortice, aliud complectitur in medulla spiritus
Dei.

Sic terram, accipit frequenter pro hominibus qui
sunt in terra, id est, continens pro contento.

Montes, pro hijs qui sunt in montibus.

Verbum, pro facto. Exodi. 2. Notum factum est
uerbum hoc.

Aridam, pro terra.

Scripturarum Oth. Brun.

Aquas, pro luctu, uel semine.

Videre, pro intelligere.

Ducere, pro ferre.

Puero, pro seruis.

Manum, pro potestate.

Panem, pro quolibet uictu.

Testamentum, pro pacto.

Animam, pro uita. Genesis. 17. Ne feriamus eum in
anima. Hiob. 2. Animam eius non tangas. Matthei. 10.

Animam occidere non possunt.

Voces, pro tonitruis.

Fratrem, pro quolibet homine. Exodi. 10.

Nemo uidit fratrem suum tribus diebus.

Canem, pro extremo hominum uel pecore. Exo.

11. Apud omnes autem filios Israel, non mutiet canis
ab homine usq; ad pecus.

Carnem, pro toto homine. Psal. 55. Non timebo
quid faciat mihi caro.

Peccatum, pro poena peccati. Leuit. 20. Portabit
peccatum suum.

Sanctificari, pro sancto haberi. Leuit. 20. Sanctifi-
cabor in eis. Matth. 6. Sanctificetur nomen tuum.

Mulierem, pro uirgine.

Ferrum, pro tribulatione. Deutero. 4. Eduxit ex
fornace Ferrea ex Aegypto. Psal. 104. Ferrum per-
transijt animam eius.

Dormire, pro concumbere. Deutero. 27. Malse-
dictus qui dormierit etc.

De Tropis.

Dormire, pro mori.

Currus & castra, pro hijs qui sunt in curribus
& in castris. Iud. 4.

Pauescit Dominus currus eius.

Militiam coeli, pro stellis.

Inebriari, pro repleri & saturari. Psal. 64. Visisti
terram, & inebriasti eam.

Filiæ, pro neptibus. Genesis. 46.

Intrauit Iacob in Ægyptum, & omne semen
eius, filiæ, & filiæ filiarum eius cum eo, cum constet
tamen, non nisi unam filiam habuisse Dinam.

Caput, pro qualibet summitate

Genesis. 47. Adorauit super lectuli caput.

Lac & mel pro omni affluentia.

Clanorem, pro oratione secreta. Exodi. 14. Quid
clamas ad me?

Digitum Dei, pro spiritu Dei sancto.

Luce. 11. Si ego in digito Dei eicio demonia,
Quod Mattheus expressus dicit. Si ergo in spiritu
Dei &c.

Videre, pro audire. Exo. 15.

Omnis populus uidebat uocem, & lampades.

Nomen unius hominis, pro integra tribu.

Iudic. 1. Iudas ascendat. Et rursum. Dixit Iu-
das ad Symeon fratrem suum. Utique tribus ad
tribum.

Græcos, pro omnibus gentibus. Roma. 1.

Iudeo primum & Græco.

Scripturarum Oth. Brun.

Argentum, pro pecunia. Esaiæ. 52. Sine argento redimimini.

Saluatorem, pro homine per quem Deus salutem facit.

Benedicere, pro maledicere. 3. Regum. 21. Et benedixit regi.

Ligna, pro hominibus. Ezechia. 17. Ego humiliavi lignum sublime, & exaltaui lignum humile, & siccaui lignum uiride, & frondere feci lignum aridum. Capite. 31. ad idem, Omnia ligna agri concussa sunt, cap. 20. Ecce ego succendā in te ignem, & cōburnam in te omne lignū uiride, & omne lignū aridum.

Volucres, pro hominibus Ezechia. 17. Habitabunt sub ea omnes uolucres, & uniuersum uolatile sub umbra frondium nidificabit.

Leones, pro principibus. Ezech. 19. Quare mater tua Leena, inter leones cubauit, in medio leonularum enutriuit catulos suos.

Calicē, pro cruce. Ezech. 23. Calicē sororis tue bib.

Brachium, pro potentia. Ezech. 30. Et comminuam brachium eius forte. Lucæ. 2. Fecit potentiam in brachio suo.

¶ De quibusdam Locis Scripturarum pugnantis.

SVNT & loci aliquot Scripturarū contrarij, et pugnantes, uel quæ uidentur potius pugnare, cū magis ipsi nobis pugnemus, & hebetes ad tantam lucem perspiciendam simus, quos conferre & cōciliare,

De Locis.

collatis antecedentibus & sequentibus oportebit: uel si id non queamus, spiritui interpreti reliquere, non temere iudicare & damnare, De quibus sic quoque pulchre reliquit doctissimus uir. M. Lutherus scriptum, in uolumine de Arbitrio.

Hoc fateor (inquit) multa loca obscura & abstracta, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam uocabulorum, & grammaticæ, sed quæ nihil impediant, scientiam omnium rerum, in Scripturis. Quid enim potest in Scripturis angustius latere reliquum, postquam factis signaculis, & ueluto ab ostio sepulchri lapide, illud summum mysterium proditum est. Christum filium Dei factum hominem, esse Deum, trinum & unum, Christum pro nobis passum, & regnaturum eternaliter? Nonne etiam in biuijs sunt nota & decantata? Tolle Christum e Scripturis, quid amplius in illis inuenies?

Res igitur in Scriptura contentæ, omnes sunt proditæ, licet quædam loca adhuc uerbis incognitis, obscura sint. Stultum est uero, & impium, scire res Scripturæ esse omnes in luce positas clarissime, & propter pauca uerba obscura, res obscuras dictare. Si uno loco obscura sunt uerba, at alio sunt clariora, Eadem uero res manifestissima toti mundo declarata dicitur, tum uerbis clavis, tum adhuc latet uerbis obscuris. Iam nihil refert, si res sit in luce, an aliquod eius signum sit in tenebris, cum interim multa eius signa sint in luce. Quis dicet fontem publicum non

pugnantibus.

esse in luce, quod hi qui in angiportu sunt, illum non uident, cum omnes qui sunt in foro uideant?

Nihil est igitur quod de Coricio specu adducitur, non habet ita res in scripturis, & quæ sunt summæ maiestatis & abstrusissima mysteria, non sunt amplius in fecessu, sed in ipsis foribus, & in propatulo producta & exposita: Christus enim aperuit nobis sensum, ut intelligamus Scripturas. Euangelion prædicatum est omni creaturæ, & in omnem terram exiit sonus eorum.

Igitur omnes Sophistæ, agite, producite unum aliquod mysterium, quod sit in scripturis adhuc abstrusum. Quod uero multa manent abstrusa, non hoc fit scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate & sordida, qui non agunt, ut clarissimam lucem uideant. Sicut Paulus de Iudæis dicit .2. Corint. 4. Velamen manet super cor eorum. Et iterum. Euangelion nostrum in his qui pereunt opertum est, quorum deus huius seculi corda exæcauit. Eadem temeritate solem, obscurumq; diem culparet, qui ipse sibi oculos uelaret, aut a luce in tenebras irret, & sese absconderet.

Desinant ergo miseri homines, tenebras & obscuritatem cordis sui, blasphema peruersitate, scripturis Dei clarissimis imputare. Tu ergo cum Paulum adducis dicentem, Incomprehensibilia sunt iudicia eius, uideris pronomen, eius, ad scripturam retulisse. At Paulus non dicit, incomprehensibilia sunt

De Locis

Indicia Scripturæ, sed dei. Sic Esaias. 40. dicit, Non dicit Quis nouit sensum scripturæ, sed sensum domini? Quamuis Paulus asserat, Christianis notum esse sensum domini, uerum in hijs quæ donata sunt nobis. Et idem dicit. 1. Cor. 2.

Vides igitur, quam oscitanter hoc locos Scripturæ inspexeris, & tam apte citaris, quam apte citas fere omnia pro libero arbitrio. Sic & exempla tua quæ subiungis, non sine suspitione, & aculeo, nihil faciunt ad rem qualia de distinctione personarum, de conglutinatione naturæ diuinæ & humanæ, de peccato irremissibili, quorum ambiguitatem dicis nondum esse resectam. Sic de Sophistarum questionibus circa has res agitatis. Quid tibi Erasme fecit innocentissima scriptura, ut abusum sceleratorum huiusmodi, obijcias illius puritati? Scriptura simpliciter confitetur trinitatem Dei, & humanitatem Christi, & peccatum irremissibile. Nihil hic obscuritatis aut ambiguitatis. Quibus uero modis ista habeant, Scriptura non dicit, ut tu fingis, nec opus est nosse.

Sophistæ hic sua somnia tentant, illos argue, & damna & scripturas absolue si uero intelligis de ipsa rerum substantia, iterum non scripturam, sed Arrianos argue, & eos quibus opertum est Euangelion, ut clarissima testimonia de diuinitatis trinitate, & humanitate Christi per operationem Satane Dei sui, non uideant.

pugnancibus.

Et ut breuiter dicam, duplex est claritas scripturæ, sicut & duplex obscuritas. Vna externa, in uerbi ministerio posita. Altera in cordis cognitione sita. Si de interna claritate dixeris, nullus homo unum iota in scripturis uidet, nisi qui spiritum Dei habet. Omnes habent obscuratum cor, ita ut si etiam dicunt, & norunt omnia proferre scripturæ, nihil tamen horum sentiunt, neq; cognoscunt, neq; credunt Deum, nec se esse creaturas Dei, nec quicquam aliud, iuxta illud Psalmi. Dixit insipiens, non est Deus. Spiritus enim requiritur ad totam Scripturam & ad quamlibet eius partem intelligendam. Si de extrema dixeris, nihil prorsus relictum est obscurum, aut ambiguum, sed omnia sunt per uerbum in lucem producta certissimam, & declarata toti orbi quæ sunt in scripturis.

Hactenus Lutherus, nos obiter aliquot Locos subsignauimus. tu interim inter legendum reliquos obseruabis, & inuicem compones. Extat & uolumen super hoc Andrea Althameri, hominis sane acuti, & diligenti, ad cuius consonantias & interpretamenta te remittimus.

LOCIS.

I

1. Iohan. 1. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges.

Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, reuertimini & uiuite.

II

Exo. 30. Facies altare ad adolendum thimiamu.

Esa. 1. Quo mihi multitudine uictimarum uestrarum.

III

Pro. 26. Responde stulto iuxta stultitiam suam.

Pro. 26. Ne responde stulto iuxta stultitiam.

III

Mat. 10. In uiam Gentium ne abieritis.

Mat. 28. Ite, docete omnes Gentes.

V

Ne quid tuleritis in uia, neq; uirgam, neq; peram, neq; panem.

Mar. 6. Et praecepit illis, ne quid tollerent, nisi uirgam tantum.

VI

Mat. 5. Non ueni soluere legem, sed ad implere.

Ga. 3. Christus nos liberauit a maledicto legis.

VII

1. Iohan. 2. Charissimi, non praeceptum nouum scribo uobis, sed praeceptum uetus quod habuistis ab initio.

1. Iohan. 2. Praeceptum nouum scribo uobis, quod uerum est in ipso.

VIII

Ioha. 3. 12. Non misit Deus filium suum ut iudicet

PUGNANTIBVS

et mundum, sed ut seruetur mundus per ipsam.

Iohan. 9. In iudicium ego ueni in mundum, ut qui non uident uideant, & qui uident caeci fiant.

IX

Roma. 2. Iustus ex fide uiuit.

Iacobi. 2. Quae utilitas fratres mei, si fidem quis dicat se habere, facta uero non habeat?

X

Iohan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.

Iohan. 8. Ego non iudico quenquam.

XI

Iohan. 5. Ego testimonium ab homine non accipio.

Acto. 1. Eritis mihi testes non solum in Ierusalem, uerumetiam in uniuersa Iudaea.

XII

Iohan. 7. Non potest mundus odisse uos, me autem odit.

Iohan. 15. 17. Si mundus uos odit, scitote, quod me priorem odio habuit.

XIII

Iohan. 3. Omnis qui manet in eo non peccat, omnis qui peccat, non uidit neque cognouit eum.

Prouerb. 24. Septies in die cadit iustus.

Non est homo iustus qui non peccat.

XIII

Gen. 15. Rom. 4. Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iusticiam.

L O C I

Iacob. 2. Abraam pater noster nonne ex factis iustificatus est, cum obtulisset Isaac filium suum super altare?

XV

Iohan. 7. Nunquid uere cognouerunt principes nostri, quoniam hic uere est Christus? Et dicebat Iesus. Et me nostis, et unde sum nostis.

1. Cor. 1. Si cognouissent, nunquam dominum gloriae crucifixissent.

XVI

Mat. 7. Nolite iudicare.

1. Cor. 1. Spiritualis omnia diiudicat.

XVII

Mat. 10. Ne possideatis aurum, neque argentum, neque aes in crumenis uestris.

Iohan. 13. Iudas habebat Loculos.

Ioha. 4. Discipuli iuerant in ciuitatem, ut emerent panes.

XVIII

Mat. 10. Ne arbitremini, quod uenerim ad mittendum pacem.

Zach. 9. Matt. 21. Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus super asinam. Esa. 9. uocabitur pax.

XIX

1. Timo. 2. 3. Qui uult omnes homines ad agnitionem ueritatis uenire.

Mat. 10. Tamen pauci sunt qui saluatur. Multi uocati, pauci electi.

XZ

PUGNANTES

Mat. 23. Omnia quaecumq; iusserint uos seruare seruate & facite.

Mat. 16. Cauete a fermento phariseorum.

XXI

Deut. 13. Pseudopropheta interficiatur

Ad Titum. 3. Sectarum hominem & hereticum de uita, non inquit occide.

XXII

Gen. 8. Decimo mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium, emisitq; coruum & non est reuersus, Eodē. Cui pugnat quod sequitur, Emisit post eum columbam, quae cum non inuenisset locum reuersa est in arcam.

XXIII

Gen. 8. Neq; ultra maledicam terrae propter hoies

Deut. 28. Quod si audire uolueritis &c. uide ibi totum caput maledictionis.

XXIIII

Gen. 22. Tentauit Deus Abraam.

Iacob. 1. Deus neminem tentat.

XXV

Gen. 21. Abraam plantauit nemus in Bersabea, & inuocauit ibi nomen domini Dei aeterni, & fuit ibi locus terrae palestinorum.

Acto. 7. Et non dedit illi hereditatem in terra illa. ne uestigiam quidem pedis, & repromisit illi eam sedaturum possidendam, & semini eius.

XXVI

C ij

L O C I

Ge. 23. Surgens Abraham adorauit populum terræ.

Deu. 6. Domini. deum tuum adorabis, et ipsi soli ser.

XXVII

Exo. 20. Non facies furtum.

Exo. 11. Loquere secreto in aures populi, ut petat unusquisq; a proximo suo, & mulier a proxima sua uasa aurea.

XXVIII

Exo. 20. Non assumes nomen dei tui in uanum.

Mat. 6. Vos autem non iurabitis omnino.

2. Cor. 11. Deum testem inuoco in animam meam.

Deut. 6. Et in nomine eius iurabis.

XXIX

Exo. 21. Seruus sex annis seruiet tibi &c.

Ephe. 6. Serui subiecti estote domini. uest. et. 1. Cor. 7.

XXX

Exo. 24. Videruntq; Deū, et comederūt et biberūt.

Exo. 33. Non poteris faciem meam uidere et uiuere

XXXI

1. Ioha. 2. Nunc Antichristi multi facti sunt, & nō uisimum tempus nunc est.

2. Tessalo. 2. Rogamus fratres, ne cito dimoueamini a uestro sensu, neq; turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, quia instat dies Domini.

XXXII

Psal. 1. Non resurgent impij in iudicio.

1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus.

PUGNANTES.

XXXIII

Psal. 88. Quis similis Deo inter filios Dei.
Cum apparuerit, similes ei erimus.

XXXIII

1. Iohan. 3. Deum nemo uidit unquam.
Genesis. 42. Vidi Dominum facie ad faciem.

XXXV

Exo. 20. Ego Deus uisitans iniquitatem patrum in
filios in tertiam & quartam generationem.

Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris,
sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

XXXVI

Psal. 118. In Labijs meis pronunciaui omnia iudi-
cia oris tui.

Roma. 1. Quam inscrutabilia sunt iudicia eius.

XXXVII

Matth. Attendite ne iustitiam uestram faciatis cor-
am hominibus, ut uideamini ab eis.

Matth. 5. Ut uideant opera uestra bona.

XXXVIII

Psal. 118. Iniquos odio habui.

Roma. 12. Benedicite eos qui uos persequuntur.

XXXIX

Gene. 3. Dicit Heua de Cam possedi hominem per
Deum. 1. Iohan. 1. Iohannes dicit. Non sicut Cain ex il-
lo erat, & occidit Abel fratrem suum.

XL

Prover. 24. Septies in die cadit iustus.

C lij

LOCI PUGNANTES.

Psal. 111. Iustus in eternum non commovebitur.

XLI

Esa. 42. Arundinem cominutam non confringse.

Psal. 2. Tanquam uas figuli confringes eos.

XLII

Perdes omnes qui loquuntur mendacium.


Genesis. 12. Abraam mentitus est.

XLIII

Ione. 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

Ione. 4. Parcam Niniue ciuitati magna.

F I N I S.



Alii diuidunt propria & daturus sunt. Alii
caput aliena & p[er] in egestate sua p[er] u[er]u[m].
fama statim iudicat mag[is] sua. qui aut[em] dicitur
iunior[um] collidit[ur] est. p[er] u[er]u[m]. 12.

Sua festinata m[er]ita, que aut[em] pauca[m] colligit
m[er]ita multiplicabit. p[er] u[er]u[m]. 13.

Qui patient[er] est multa gubernat[ur] sapia. Qui aut[em]
impatient[er] est exultat stulticia sua. p[er] u[er]u[m]. 14.

Melior est patient[er] u[er]o fort[is] & qui dicitur amo
suo expugnator u[er]bor[um] p[er] u[er]u[m]. 16. In fi & glo. ubi
uimoz est uirtuosa u[er]bes expugnare. q[ui] ex sunt
que uimoz. Mag[is] est aut[em] q[ui] p[er] patiaz uimoz. q[ui]
a p[er] am[er] p[er]at & p[er] uimoz sibi uimoz sibi uimoz &
p[er]at uimoz sibi uimoz.

Melior est buccella p[er]ta n[on] gaudia. q[ui] dem[um] plena
uirtutis n[on] iugis. p[er] u[er]u[m]. 17. In p[er]u[m].

Amis gaudens etas florida facit. p[er] u[er]u[m] test[is] uimoz
esta e. ad fi. Qui moderat[ur] s[er]mone[m] suos
dicit et prudens est. & p[er] uimoz uimoz uimoz.



Stult[us] quoz si tunc uimoz s[er]p[er]us uimoz h[ic] & si
imp[er]at labra sua dicitur uimoz. e. In fi.

Exidit mag[is] u[er]so otu[er]e rapt[us] f[er]u[m]. q[ui] fatuo
confidit sibi in stulticia sua. e. In me.

Qui p[er] u[er]u[m] re p[er]uimoz q[ui] audiat stulticia se esse
dicitur uimoz & confidit. dicitur p[er] u[er]u[m]. 18.

ma
ro p
is
mit
urt
do.
es
ubel
ater
at. o
bon
cento
poter
m. e
nis m
mes
hom
z celi
ctat
us de
e. Ca
uicū
a. ps.
is sic
uo. i. b.
bit eu
impug
um om
TE
quidet
z eis
lota h
c. Qui
ad alce
is. de
Mamy
it seru
it dū
iter
qui al
tinga
passion





PANDECTARVM
Liber . XIII . de Tropis, Figu-
ris & modis loquendi
Sripturarum .
Item de locis Scriptorum
pugnantibus Parallela .
PROBLEMATATA.
Quare quaedã parum curiose
retulerunt Euangelistæ .
Prophetæ quare in Parabolis &
ænigmatibus sunt locuti .
Otho . Brunfel .

